# De Lycophronis Alexandra commentatiu...

Ulrich von Wilamowitz-Moel...

Digitized by Google

Gr C 2.5. 30 Corridor

HARVARD UNIVERSITY.

LIBRARY OF THE

Classical Department,

HARVARD HALL.

10 Oct. 1892

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# INDEX SCHOLARVM

IN

# VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE HIBERNVM

ANNI MDCCCLXXXIII—LXXXIV

A DIE XV. MENSIS OCTOBRIS

HABENDARVM.

INEST

VDALRICI DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

DE LYCOPHRONIS ALEXANDRA

COMMENTATIVNCVLA.

GRYPHISWALDIAE

TYPIS IVLII ABEL

MDCCCLXXXIII.

Digitized by Google

2i 25.50

1872, 9.3. 1?

HARVARD UNIVERSITY,
Classical Department.

Digitized by Google

# VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR

# HERMANNVS CREMER

CVM

## CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS

Quaestionem tractaturi sumus motam a veteribus grammaticis, deinde per aliquot huius saeculi annos multum agitatam, hodie fere contemptam, a plerisque ne recte quidem intellectam. quaerimus quando Lycophro Chalcidensis Alexandram, iambum neque a suavitate neque ab elegantia commendatum sed rerum verborumque pondere sanequam insignem, composuerit. num Lycophronis Chalcidensis hic iambus sit, non quaerimus, quippe quem vir minime credulus, Aristophanes Byzantius, a peregrinitatis crimine satis defendat.*) neque propter praeiudicatam de temporibus opinionem in interpolationibus indagandis morabimur: ipsa enim tempora indagare studemus. neque accusatorum rationes singillatim refutabimus, qui scholiastarum erroribus manifestis irretiti et in paucis versibus occupati laudem non merentur; neque tulissent laudem, nisi vulgus libenter in clarorum virorum auctoritate acquievisset, cum segnitiei iam liceret prudentiam praetendere neglecto difficili carmine, vel potius non lecto. immo postquam exposuerimus, quid aliunde de Lycophrone habeamus compertum, simpliciter quaeremus, quid cum ex accurata singulorum versuum interpretatione ad definiendum tempus quo Alexandra scripta sit consequatur, tum vero ex eis quae Lycophro tota vaticiniorum serie, hoc est, toto carmine voluerit. hoc enim summum est atque primum, quo in quovis carmine adnitendum sit, neque interpolationibus ad arbitrium scilicet statutis eluditur. quod si quis e delicatioribus obverterit, nihil voluisse insulsum versificatorem nisi ingenti gripho eos ludificari qui in solvendis aenigmatis tempus terere sustinerent, ne ille nucleum inesse negat nuci cuius duritiem frangere aut nescit aut gravatur. sin vero rem ita nos instituisse iudicaverit, ut quicunque nostra plene intellegere vellet, ei Alexandra tota perlegenda esset, reum habebit confitentem. modo id efficiamus ut studia vere doctorum hominum his quoque litteris admoveantur, libenter etiam refutabimur.

*) Demonstratum hoc est *Philol. Unters.* IV 139.

Digitized by Google

Antiqui litteratores cum Lycophronem aut inter Pliadis poetas aut inter Arati amicos referunt, in olympiade 124 collocant. quae temporis nota, cum re vera in Ptolemaei Philadelphi Antigonique Gonatae rebus nitatur, nihil docet quin primo obtutu ipsi colligere possimus. nobilem iam fuisse illo tempore Lycophronem inde sequitur quod a Philadelpho iussus est comicorum volumina digerere. quo munere gravissimo ita functus est, ut simul amplissimos de comoedia commentarios conderet ab Euphronio Eratosthene Aristophane lectos auctos emendatos: ergo in museo Alexandrino grammaticae vacabat: versus etiamtum condidisse non traditur, neque apud Alexandrinos poetas plausum expectare poterat qui Antimachi putidissima quaeque artificia collaudasset, cuius hanc clausulam ἐπιχϑονίων ἦν ἀνδρῶν probasse dicitur a Porphyrio (apud Eusebium Praep. ev. X 467b). quod omnino fieri potuisse post versus heroici rationes per Theocritum Callimachumque stabilitas non possumus credere. antequam autem Alexandriam vocaretur, Chalcide eum degisse tragoediis iam nobilitatum ab aequali teste Antigono Carystio discimus, qui et versus aliquot e Menedemo, satyrica fabula a Lycophrone in Menedemi Eretriensis gratiam composita, servavit et de Menedemo ipso haec prodit ἦν δὲ καὶ φιλυπόδοχος . . . ἠσπάζετο δὲ καὶ Ἄρατον καὶ Λυκόφρονα, τὸν τῆς τραγῳδίας ποιητήν, καὶ τὸν Ῥόδιον Ἀνταγόραν, μάλιστα δὲ πάντων Ὁμήρῳ προσεῖχεν. sunt haec quidem a Diogene, apud quem leguntur II 133, concisa, sed tantum certe inde colligitur, ut Menedemum, qui post diuturnum principatum circa annum 272 Eretria excidit, et consuetudine et versibus Lycophronis delectatum esse affirmare possimus.

Tragoediae Lycophroneae vix ipso parente superstites fuerunt: superat hodie Alexandra. ad quam cum accedimus, quid prius potest quaeri quam utrum Chalcide an Alexandreae composita sit. ac duo statim sunt quae neminem latere possint qui paullo diligentius integrum carmen perlegerit, eo graviora quo paucioribus verbis explicari possunt. quamquam Lycophro in rararum vocum aucupio iambicos lyricos tragicos poetas naviter perlustravit, comoediae tamen sive Atticae sive Siculae nullum studium apparet. atqui eum qui in admittendis obsoletis et plebeis vocabulis tam non castus fuit ut Hipponactea admitteret non est probabile Aristophanea consulto sprevisse. credideris igitur Alexandram ante comica Lycophronis studia compositam esse. deinde qui tot tam reconditas fabulas tetigit, qui Graecorum errores per Ionium Tyrrhenumque mare, per Thraciam et Cyprum persecutus est, Aegyptiaca sprevit. nam quod Inopum Aegyptium vocat (576), Delia potius est fabula, Menelai errores Pharum Alexandrinum praetereunt, ipse Proteus inde in Chalcidicen transfertur (118), nihil de Canopo, Zephyrio Locrorum Aegyptio, Memnone Memphite, nihil ultra Herodotum de Io Iside (1298), nihil denique in Ptolemaeorum gratiam. vel Alexandrum habemus Philippi Olympiadisque filium: Alexandrinis Ammonis filius erat, deus ipse. profecto Alexandrinum carmen Alexandra non est. at noluit Lycophro ultra Alexandri regnum descendere. audimus; sed quamquam falsum hoc vel ea de causa est, quod unum factum commemoratur aliquanto recentius, de quo infra pluribus agemus, non necesse est causam ex eis quae noluerit decernere. agedum quid voluerit videamus.

Digitized by Google

Alexandra vaticinatur, dum Paris ancoras solvit navium *ἀρχεκάκων*. sumptum hoc e Cypriis, quibus multa debet Lycophro, quae in praesentiarum nobis intacta sunto. persequitur paucis bellum Troianum (31—407), multis redeuntium Graecorum errores, nimirum ut origines coloniarum cum alibi tum in Sicilia et magna Graecia conditarum expromat (408—1089). quae materia et in principio et in fine diserte indicatur.*). atque pluris fecit Lycophro eruditionem geographicam et historicam quam quid Alexandrae conveniret; saepius enim narrantem eam facit quae cum bello Troiano aut omnino non coniuncta sunt aut certe per filum tenuissimum, velut in Egestae Siridis Tylesii Terinae antiquitatibus (951—1010). secuntur fata reducum, quorum primus Agamemno est per *ὃ μὲν γὰρ* (1099) proximo oppositus. expectamus igitur alterum sequi. sed transitur ad honores Agamemnoni Alexandrae Hecubae Hectori Aeneae post mortem tributos. quae quamvis omnia inter se artissime coniuncta in codicibus divelluntur interiectis duodecim versibus, quibus Leuci Idomeneique reducis res continentur (1214—25). hi igitur versus id ipsum praebent quod antea desiderabatur; illi *ὃ μὲν γὰρ* respondet quod hic legitur *ἥξει δὲ Κνωσσόν — τοὐμὸν πῆμα* et sicut antea culpa adulteriorum in Nauplium referebatur, ita rursus Nauplius Creticae stragis auctor est 1216.**). quae cum ita sint, Scheerius propterea quidem laudandus est quod versus importunos loco movit, nec tamen suo loco eos reddidisse censendus est. intra Alexandrae enim et Hecubae honores, ante v. 1174 *ὦ μῆτερ ..... οὐδὲ σὸν κλέος ἄπυστον ἔσται*, nulli fabulae, nedum tam diversae, locus est. contra post Clytaemnestrae mortem v. 1122 Leuci fabula, quae item in caede caedisque ultione versatur, nihil offensionis habet, atque ab Idomeneo (v. 1225) transitus facilis est ad Agamemnonem (1123). traiecta autem a scribis Leuci fabula est, ut Agamemnonis res coniunctae proponerentur.

Honores Troianorum exeunt in Romae urbis, sitae ultra Cumanam regionem, quae

*) 408 *ἅπασα δ' ἄλγη δέξεται κωκυμάτων Graecia, οἷς οὑμὸς ἔσται . . . ἐστεναγμένος γάμος multique in mari, multi in longinquis terris mortem obibunt* 1087 *καὶ τοὺς μὲν ἄλγη ποικίλαι τε συμφοραὶ ἄνοστον αἰάζοντας ἕξουσιν τύχην ἐμῶν ἕκατι δυσγάμων ῥυσταγμάτων*.

**) Idomeneus Troiam profecturus regnum tutandum mandaverat Leuco Tali filio quem adoptaverat; eidem spoponderat Clisitheram filiam. at redux repperit Medam uxorem Clisitheramque a Leuco necatam partemque regni occupatam ita ut novo bello implicaretur. sic Lycophro scholiastaque auctore non nominato. nec tamen intellegimus hoc quod necessarium est in v. 1220 ὃς (Leucus) *οὔτε τέκνων φείσετ' οὔτε συγγάμου Μήδας δάμαρτος, ἠγριωμένος φρένας, οὐ Κλεισιθήρας θυγατρὸς ἧς πατὴρ λέχος θρεπτῷ δράκοντι συγκαταινέσει πικρόν. συγγάμου δάμαρτος* otiosus pleonasmus, nec Leuci uxor Meda est sed Idomenei, itaque scribendum videtur *συγγάμου Μήδας ἄνακτος*. gravior quaestio de Lycophronis fonte. solus quod sciam fabulam adumbrat Porphyrius in quaestionibus Homericis ad B 649 et *ι* 174 auctoremque appellat Heraclidem Ponticum (eodem respicit Apollodorus Strabonis 479); quamquam distat cum in aliis Heraclides a Lycophrone, tum Nauplii mentio nulla, quem perfidiae auctorem Leuco fuisse Lycophro tradit. ad Sophoclis *Ναύπλιον καταπλέοντα* recurrit Brunckius, meliore certe ratione usus quam Welckerus qui *πυρκαεῖ* et *καταπλέοντι* temere confundit. Medam et Penelopam sorores esse Asius Samius narrat in Schol. Odysseae *δ* 797, ubi Penelopae quoque idem Nauplius insidias struxisse perhibetur. haec dubia erunt, donec et de Icarii prosapia et de Nauplii rebus diligentius et circumspectius actum erit quam adhuc factum est. quod vero Nauplius a Lycophrone fertur ad adulteria pellexisse uxores Danaum ad Troiam pugnantium, et Nauplium Oeacemque a partibus Clytaemnestrae stetisse constat et adulteria numerosa fuisse ita deplorat Euripides Andr. 1040, ut quin notam rem tangat dubitari nequeat. ceterum *Κλεισιθήρα* nomen vere doricum: fert papyrus Alcmanis *Κλησισήραν*.

Digitized by Google

a Chalcidis colonis tenetur, praeconium. a quo abhorrere visa sunt proxima *τοσαῦτα μὲν δύστλητα πείσονται κακὰ οἱ τὴν ἐμὴν μέλλοντες ᾀστώσειν πάτραν* (1281). et abhorrerent re vera, si eos potissimum versus spectarent quibus contigua sunt. sed cum ad plane novum iam transeatur carminis caput, consentaneum est spectari caput proximum, hoc est mala Graecorum ex ipsa victoria nata, inter quae non minimum est quod cum aliis honoribus olim Troiani florebunt, tum Aeneadarum imperium magnae Graeciae imminebit. atque ut fortasse singularum partium iunctura non plane laevigata sit, librarii non sunt culpandi sed poeta; quem nos excusamus, cum iam ad nova eaque gravissima properet. peccasse omnino Graeciae vel potius Europae gentes, cum Asianis bellum inferrent finesque transgrederentur quos natura ipsa posuisset. secretas enim esse mundi partes et omnia omnino mala inde nata quod mortales sua telluris portione non fuissent contenti. itaque duce Herodoto discidium Asiae et Europae per singula nomina percenset, raptum Ius, Cretensium in Troade coloniam, Argonautas, Thesei contra Amazonas, Amazonum contra Athenienses expeditionem, Ili bella Thracica, Lydorum Etruscas colonias, bellum Troianum, Aeolensium Ionum Dorensium Asianas, Phrygum Macedonicas migrationes, denique Xerxis invasionem. tandem post tot tantasque clades extiturum esse Alexandrum, consanguineum et Priami et Achillis, qui Asiam subigat. hic substitisse vulgo opinantur Lycophronem. poteratne re vera hic subsistere? poterat fingere Asiae Europaeque mutua odia sublata esse per Alexandri regnum? per mille annos altera alteram exceperat expeditio clades victoria. modo Xerxes, cuius sanguis ex Asiano et Argivo item mixtus erat, nihil profecerat. cur post Alexandrum non erat venturus ultor Persarum? non terminantur discidia alteris partibus devictis, sed utrisque in gratiam reconciliatis. atque re vera hanc summam artem profitebatur magnus Alexander, frustra repugnantibus Macedonibus et Aristotele. professi sunt eandem qui rursus pacem mundo restituerunt Divi Iulius et Augustus. hoc non poterat latere Lycophronem, neque latuit. addidit enim post commemoratam Alexandri victoriam, fore unum ex eis qui classe et exercitu contra eum dimicassent, qui in gratiam receptus partem imperii acciperet (1446—50). in his demum oraculis finem facit Alexandra; mutilum sine his versibus carmen esset: quos nisi legeremus, librarios culparemus. hodie eiciuntur atque fatendum est nondum successisse cuiquam interpretationem. cardo rei in eo vertitur ut eum indicemus quem Lycophro pro instituta carminis ratione debebat per vaticinii maxime ambigui velamenta ostendere. nos ut inveniamus, nihil habemus praeter ipsum hoc oraculum. concedendum igitur est, rem maxime ambiguam esse, tenendum vero, quid Lycophro in universum voluerit ne tum quidem latere, si nobis periculum indicandi illius hominis parum prospere cesserit. adscribendum autem est et enarrandum totum illud quod de Alexandro est caput

*πολλοὶ δ᾽ ἀγῶνες καὶ φόνοι μεταίχμιοι*
*λύσουσιν ἀνδρῶν οἱ μὲν ἐν γαίᾳ πάλας*
*δειναῖσιν ἀρχαῖς ἀμφιδηριωμένων,*
*οἱ δ᾽ ἐν μεταφρένοισι βουστρόφοις χθονός.*

Digitized by Google

quibus hoc dici manifestum est *multae interim* (inter Xerxem et Alexandrum) *pugnae multos homines terrae marique interiment.* qui in pugna occidit speciem refert luctatoris cuius brachia mortali torpore percussa nodum solvunt quo adversarium astrinxerant: apposite igitur dictum *λύσουσι πάλας*, a scholiasta male temptatum. terra quoque pro sacri oris ampullis apte vocatur *telluris dorsa bubus exercita.* haeret corruptela in vocabulis *ἐν γαίᾳ* sive *ἐν γαίης*, quod minus probi libri exhibent, ubi navalem pugnam aliquo modo significatam esse constat; sed *ἐν ναυσίν* conicere Scheerio indignum est. porro viri dicuntur certasse de ingentibus imperiis. poterat fortasse Lycophro, qui praepositione *ἀμφί* libere utitur, *ἀμφιδηριᾶσθαι* cum dativo iungere, sed parum hoc placet; minus etiam *ἀρχαῖς* de uno imperio, quod utrique affectant. otiosum adiectivum *δειναῖσι* plane intolerabile. recte igitur scriba quidam, recordatus Lycophronem dixisse 380 *δίναις παλιρροίοισιν ἕλκοντος σάλου**) et 1085 *ἐν Λαμητίαις δίναισι*, diphthongum ex hac voce sustulit, quam qui primus posuerat, fortasse ne cogitarat quidem de adiectivo, sed eam scribendi perversitatem sequebatur, qua vel hodie archaeologi *δῖνος* per diphthongum scribunt. recuperato substantivo quod mare significet cetera facile emendantur, *οἳ μὲν Αἰγαίαις πάλας δίναισιν ἀρχῆς ἀμφιδηριωμένων.* in quibus Aegaei maris nomen Kaibelii cuidam coniecturae debemus, *ἀρχῆς* autem in *ἀρχαῖς* propter praecedentem dativum corruptum est, cuius generis errores in hoc carmine frequentes sunt.**)

Quae secuntur emendatione non indigent:***)

*ἕως ἂν αἴθων εὐνάσῃ βαρὺν κλόνον*
*ἀπ' Αἰακοῦ τε κἀπὸ Δαρδάνου γεγώς*
*Θεσπρωτὸς ἄμφω καὶ Καλαστραῖος λέων*
*πρηνῆ θ' ὁμαίμων πάντα κυπώσας δόμον*
*ἀναγκάσῃ πτήξαντας Ἀργείων πρόμους*
*σῆναι Γαλάδρας τὸν στρατηλάτην λύκον*
*καὶ σκῆπτρ' ὀρέξαι τῆς πάλαι μοναρχίας.*

*) *παλιρροίοισιν* traditum est, atque suademus ut servetur memorabile exemplum propagatae usque in nostros libros scriptionis, quae a linguae ratione et a vulgari consuetudine abhorret, sed Lycophronis aetati familiaris erat. nam iota illud in voce *παλίρροιος* sane non est legitimum: sed ipsi Attici tituli consimilia praebent velut *ὀγδοίης Βοηδρομιῶνος βοηθεῖν* (Köhler ad CIA II 269 313 al.). vulgare et verius *παλίρροος* Byzantini dederunt, quos si quis sequi maluerit, non potest vituperari. sed peccat qui ex hac scriptura profectus maiora molitur.

**) Nova aliquot exempla proponimus quae sine longa demonstratione intellegi possunt. 149 *τὸν δ' ἐκ Πλυνοῦ τε κἀπὸ Καρικῶν ποτῶν βλάστοντα ῥίζης ἡμικρῆτα βαρβάρου* (*βάρβαρον* codd.) *Ἐπειὸν οὐκ Ἀργεῖον ἀκραιφνῆ γοναῖς*; Menelaum dicit. — Hecubam Thraces lapidibus obruent 330 *οἱ δὲ — Δολόγκων δημόλευστον ὠλένῃ ἐπισβύλοις ἀραῖσιν ἠρεθισμένων* (*ἠρεθισμένην* codd.) *κρύψει κύπασσις χερμάδων.* — 1019. *ἔνθα πλανῆται* (*πλανήτην* codd.) *λυπρὸν ὄψονται βίον Λακμωνίου πίνοντες Αἴαντος ῥοάς.* Aetoli postquam errore in Illyriam delati sunt, manent ibi miseramque vitam degunt. — 1278. de Cumis *ἔνθα παρθένου στυγνὸν Σιβύλλης ἐστὶν οἰκητήριον γρώνης* (*γρώνῳ* codd.) *βερέθρῳ συγκατηρεφὲς στέγης.*

***) v. 1443 *ἀναγκάσῃ* Scheerius, *ἀναγκάσει* libri. laudamus veriorem scribendi rationem contra libros restitui, cum ad perspicuitatem faciat. sed Lycophronis potius quam librariorum ita emendatur consuetudo. quem sicut plerosque aequalium neque dicendo neque scribendo longum a brevi *ε* in diphthongo distinxisse probabile reddit plurimorum titulorum usus. idem Scheerius in altera praesentis passivi persona non debebat *ει* contra libros

Digitized by Google

*Alexander descendens ab Achille et Priamo* (per Olympiadem; quam rationem Lycophro secutus sit, nunc non quaerimus), *Epirota idem et Macedo fratrum suorum domum evertet et Argivos Macedonibus vetus regnum cedere coget.* ὁμαίμων suo more dicit Lycophro, ut ambigamus utrum Persae Alexandri an Alexandrae fratres sint. sunt utriusque. utrum hic praedicetur, docet v. 1443, rursus per aenigma. Argivi qui Alexandro cedunt Persae sunt, per Persea Argivum, quia autem Argivi sunt, fratres sunt Alexandri Argeadae, per Temenum item Argivi. ceterum ipse Xerxes Argivam originem iactaverat apud Herodotum VII 150. laudabit igitur Lycophronis artificia, qui intellexerit ita manifestari nefariam esse inter consanguineos discordiam, neque locum amplius esse inter Asianos Europaeosque discidio, cum omne inter populos discrimen iam sublatum sit: victori Macedoni Asianus, victo Persae Graecus proavus est. tamen donec alter victor sit, alter victus, non erit firma inter eos amicitia, opus est ut odia cessent, tum illucebit novum saeculum. praeterea opus est, ut Alexandra, quam loquentem inducit Lycophro, antequam vaticinari desinat, ad se suosque redeat. utrique officio ultimum oraculum satis facit

*ᾧ δὴ μεθ' ἕκτην γένναν αὐθαίμων ἐμὸς*
*εἷς τις παλαιστὴς συμβαλὼν ἀλκὴν δορὸς*
*πόντου τε καὶ γῆς κεὶς διαλλαγὰς μολὼν*
*πρέσβιστος ἐν φίλοισιν ὑμνηθήσεται*
*σκύλων ἀπαρχὰς τὰς δορικτήτους λαβών.*

*cum Alexandro unus ex adversariis, mihi post sex generationes cognatus, postquam bello et navali et terrestri cum eo conflixit, reconciliabitur et principe inter amicos loco habebitur, praedae parte donatus.* grammatica iubet ignotum adhuc hominem aequalem esse Alexandri magni. quidquid secus statuitur, irritum est et indignum refutatione. deinde consentaneum est sex illas generationes, quoniam non possunt inter bellum Troianum et Alexandrum quaeri, ultra Alexandram quaerendas esse. Alexandra sexta est ab eo avo qui ei cum ignoto illo homine communis est. sextum ab Alexandra avum digitis pernumerare possumus. escendimus enim per Priamum Laomedontem Ilum Troem Dardanum ad Iovem. Iuppiter pater est Persei: ergo eadem hic significatur stirpis derivatio, per quam modo Alexander frater erat dictus Persarum. num forte Lycophro simpliciter indicavit Persas ab Alexandro non pro subditis habitos esse sed eodem in honore atque Macedones? non negamus fieri id posse. nam quod disertissime unus ex adversariis nominatur, conflixit Alexander cum mille populis, neque ulli eorum eum honorem tribuit quem Persis tribui Macedones aegre ferebant. itaque si quis pertinaciter hanc sententiam defenderit, nos non intercedimus. ipsi vero certum potius hominem dici credimus, et si minus persuadeamus conclusionem, ea ex quibus concludenda haec arbitramur, non minus hoc faciunt.

---

Lycophroni obtrudere, velut *ἵξει* 142 *θανεῖ* 1078, secutus pravam Porsoni rationem etiam e tragoedia Attica tandem expellendam. etiam *μείξει τείσασθαι* similia contra libros erant restituenda. *εἵνεκεν* et *εἵνεκα* edendum fuisse 850 et 935 iam alibi monitum est.

Digitized by Google

Unus Persarum omnium nobilissimus, notus iam diu inter Macedones et Graecos antequam Alexander in Asiam transiit, et per generos suos, Rhodios viros, mari dimicavit contra Alexandrum et a partibus Darii summa cum fide et constantia stetit vel ultra mortem regis. tum vero Alexandro legitimo Darii successori et ultori se suaque omnia dedidit, ab Alexandro acceptus est singulari gratia, opibus non modo non privatus sed auctus, provinciae suae rursus praepositus, ad intima consilia advocatus, denique usque ad supremum diem omnibus honoribus affectus: Artabazus, cuius etiam filii inter amicos Alexandri, filiae inter sponsas nobilium Macedonum primum locum tenent. si ab ipso rege recesseris, facile princeps Persarum fuit Artabazus. tamen huc eum convenire ipsi negaremus, nisi certa quaedam causa accederet. ex Artabazi filia Barsina Alexander Herculem procreavit. quid potest luculentius ostendere, iam sublata esse odia, redisse pacem, novum rerum ordinem nasci, quam quod victor e captiva successorem sustulit? ipse Alexander hoc consilio splendidissimas illas nuptias habuit Susis anno 324, cum tot nobilibus Macedonibus Persarum filias in matrimonium dedit. at ipse Alexander Statiram eo die duxit, non Barsinen, atque Rhoxane legitimum heredem postumum enixa est, Alexandrum II. Barsine Herculem spurium, quem, postquam patre et deinde fratre vivo occultus degit, per paucos menses Polypercho umbra regii nominis donavit, necatum rursus nemo curavit. verum hoc est, atque tantum inde colligitur necessario, non potuisse sine certa causa Rhoxanen neglegi, Barsinenque ipsam non esse commemoratam, quia sine nuptiis cum Alexandro concubuit, patrem Barsinae esse significatum, ut de eius filia potius cogitemus quam de altera eiusdem stirpis muliere quae Alexandro filium peperit. ad hanc de Artabazo et Barsina suspicionem deducti sumus argumento, quo gravius vix fingendo possimus comminisci. unum a Lycophrone commemoratur factum Alexandri regno posterius: Herculis mors. inter tot reges reginasque occisos ignobilem puerum plangit unum, inter tot foedissima diadochorum scelera hanc necem execratur unam, quam plerique excusabant, nemo ulciscebatur. Ptolemaeus certe propter caedem importuni omnibus satrapis pueri neque Polyperchonti neque Cassandro succensuit, ac iussit potius mortuo Alexandro II annos rege vacuos continuari quam Herculis nomen in fastos referri. ain tu Alexandriae Lycophronem scripsisse? cur igitur tam mira hic usus est in Herculem pietate? audiamus ipsum v. 801 *ἐν ᾗ* (Trampya) *ποτ' αὖθις Ἡρακλῆ φθίσει δράκων Τυμφαῖος ἐν θοίναισιν Αἰθίκων πρόμος* (Polypercho) *τὸν Αἰακοῦ τε κἀπὸ Περσέως σπορᾶς καὶ Τημενείων οὐκ ἄπωθεν αἱμάτων.* viden ut idem de Hercule praedicet quod in fine carminis de Alexandro habet, sed ita ut accedat Persei sanguis, sanguis Artabazi. quae cum ita sint, id quidem exploratum est Lycophronem eo animo scripsisse, ut novum saeculum ab Alexandro ortum praedicaret eo inauguratum, ut heredem ex Asiana muliere procrearet, simul vero irritam spem ex consociata Europae Asiaeque stirpe conceptam lugeret. atque consulto fecit quod non aliam atque ultimam Alexandri propaginem commemoravit: videtur nobis id quoque haud inepte fecisse, si unum Persam significavit qui Asiani sanguinis in Hercule auctor erat. sed etiamsi Persas in universum potius quam unum Artabazum ultimo illo vaticinio dixerit, summa rei non mutatur.

Digitized by Google

Iam recte quaerere possumus, quibus temporibus, cui regioni tale carmen conveniat. atque regio non convenit nisi aut Macedonia ipsa aut provincia cui Macedonum regnum paene iam patrium sit, quod in Chalcidem apprime quadrat. tempus convenit haud nimis longe a caede Herculis (309) remotum. atque momentum facit, quod et illius sceleris odium in solum Polyperchonta convertitur et Cassandri crimina silentio teguntur omnia, non solum Alexandri II et Rhoxanae sed etiam ipsius Olympiadis caedes. Cassander autem in Alexandri magni familiam saeviebat, sed suae tamen dominationi hereditarii iuris simulacrum conciliabat per uxorem Thessalonicam Philippi filiam, et filiis sacra Philippi Alexandrique nomina indidit. Macedones autem quanta pietate Argeadarum stirpem colerent, senserunt qui solo belli iure iis imperare conabantur Demetrius Lysimachus Antigonus. itaque longe probabilissimum, scriptam esse Alexandram Cassandro Cassandrive filiis aut regnantibus aut regnum adfectantibus, nam hoc quidem propter rerum illa aetate gestarum obscuritatem non licet praefracte negare. at hercle post Gallicum tumultum talia scribi potuisse nemo sanus poterit credere, nisi qui argumentationem nostram funditus everterit. videtur Lycophro Alexandram intra annos 309 et 287 Chalcide composuisse.

Praeferendos esse primos tertii saeculi annos e rebus Romanis discimus, quamquam annalium Romanorum fides usque ad Pyrrhi expeditionem et per se sublesta est et cum Graecorum temporibus tuto exaequari nequit. itaque cavendum est ne nimis confidenter in hoc fundamento innitamur, adseverandum autem, ea quae de Romano imperio Lycophro praebeat eidem aetati convenire quam e Macedoniae rebus definivimus. dicuntur Aeneadae summam gloriam adepturi esse *αἰχμαῖς τὸ πρωτόλειον ἄραντες σκέφος γῆς καὶ θαλάσσης σκῆπτρα καὶ μοναρχίαν λαβόντες* (1229). quoniam vaticiniorum proprium est ut ab eis qui rata ea velint detorqueantur, non miramur grammaticos qui, postquam universus orbis Romanis paruit, ad Alexandram interpretandam accesserunt, laetatos primum quod praesentem rerum statum praedictum opinarentur, mox Lycophronis versus quam suam interpretationem maluisse in suspicionem vocare. sed propagari tam perversam interpretationem dedecet artem nostram. nam per vocabula *σκῆπτρα καὶ μοναρχίαν* unam notionem comprehendit Lycophro imperii nulli subditi: liberi sunt Romani et ipsi imperium exercent. *γῆς καὶ θαλάσσης* exercent imperium: hoccine est omnem terram, omne mare eis servire? nihil dicitur nisi esse terram, esse mare Romanum. apparet ne hoc quidem scribi potuisse antequam Roma inter Graecos nobilis esset. atqui exeunte saeculo tertio Romanae legiones Etruriam Campaniam Lucaniam Apuliam, Romanae naves Tyrrhenum mare tenuerunt. quicunque meminerit ea aetate Graecis Germaniae Thulae Rubri maris oras notas fuisse, ridebit eos qui in dubium vocant num Italas res curaverint. contra post Pyrrhi expeditionem tam parva de Aeneadis praedicari non poterant amplius. Alexandram, dum suae gentis honores iactat, id tacuisse, fore ut Aeneadae Aeacidam vincerent! taedet in tam aperta re morari. significat autem Alexandra ingentem aliquam victoriam. unde certissimum eliceremus temporis indicium, nisi et bellum dici posset per multos annos cum Samnitibus gestum, anno 304 tandem con-

Digitized by Google

fectum (atque vel 310 Cumanis aut Rheginis poterat videri certa Romanorum victoria), et nobilissima ad Sentinum pugna (a. 295), quam vel Samius Duris in annales rettulit ad Pyrrhi aetatem non deductos.

Quae de Romanis rebus Lycophro narrat, eidem fonti debet, ex quo etiam coloniarum in Ionium et Siculum mare deductarum origines haurire solet, e Timaei historiis. nemo hoc ignorat atque in propatulo est. sequitur ab omni ratione abhorrere quod eiusdem Timaei excerpta partim pro genuinis partim pro spuriis habentur*); eadem iudicii perversitate occaecati rerum Romanarum scriptores Alexandram contemnunt. quasi minus grave Timaei esset testimonium, si apud interpolatorem legeretur saeculi alterius a. Ch. quam apud poetam saeculi tertii. habuit igitur Timaeus *Ῥῶμον* et *Ῥωμύλον* nomina, per Lycophronis verba *ἔξοχον ῥώμῃ γένος* (1233) pro aenigmate satis aperte indicata, filios, uti par est, Aeneae; habuit idem mensarum comesarum prodigium; perspexit melius quam Romani ad unum omnes scriptores triginta porcellis dici triginta foederis Latini urbes, atque omnino multo magis extulit foederis illius robur quam unius urbis Romae (1253 *κτίσει δὲ χώραν — πύργους τριάκοντα*), quod ut cum veritate eximie convenit, ita saeculo altero fieri iam desiit; novit Lavinium, quod ipse nave appulerat; Romae urbis situm certo nondum poterat in loco ponere, sed e magis notarum regionum nominibus definivit, per Circeios et regionem Cumanam et per alia nomina, partim ignota hodie, partim corrupta, ita ut corrigi nequeant. sed haec atque similia nobis iam sunt praetermittenda, neque enim faciunt ad rem quam tractamus. si enim omnino usus est Lycophro Timaeo (et per totum carmen usus est), uti etiam potuit in rebus Romanis, neque singulari hoc caput ratione tractandum est. at alii dubitationi respondendum est, quam in legentium animis dudum obortam esse credimus. potuitne Timaeo uti Lycophro, si eo quo nos eum scripsisse volumus tempore scripsit?

Timaeum historiis scribendis quinquaginta annos impendisse constat, quos Athenis degit, fere 310—260. confecit totum opus post annum 264, qui annalium ultimus erat; quando primum librum in quo antiquitates Romanae legebantur confecerit, nescimus. quodsi hoc et paucis qui a primo proximi fuerunt libris Lycophronem usum esse deprehendimus, statuere licet, editas esse a Timaeo quoque partes ingentis operis ut quaeque perfecta esset. atque etiam aliis rationibus idem probabile redditur, non solum in Timaei sed etiam in Ephori et Phylarchi libris; constat de Xenophonte et Philochoro. hinc igitur probabilius quidem fuerit, Alexandram 300—290 quam 308—300 scriptam esse, sed summa rei non tangitur. quod vero Lycophro Romanis rebus tantam tribuit gravitatem, in Chalcidensi homine non est mirandum. neque enim obliviscendum est, Cumanos Neapolitanosque qui Romanis eo tempore non tam socii quam subditi erant, Chalcidensium fuisse colonos, ac videmus e Cumanis potissimum regionibus Romanam regionem ab eo significari. neque

*) Callet Lycophro eam artem ut unam narrationem in plures partes discerptam diversis locis proponat, velut Herculis Laodicae Phoenodamantis Helenae res, ita etiam Tyrrhenorum fata 1241 et 1355, Sibyllaeque 1279 et 1466 tangit: tamen alteri loci interpolatori tribuuntur.

Digitized by Google

classem Romanam Graeci non curabant, infestam scilicet, ut olim Etrusca fuerat, negotiatoribus Tyrrhenum mare navigantibus. exeunte quarto saeculo Rhodii Romanorum amicitiam quaesiverunt (Polyb. XXX 5, 6), et ipse Demetrius, Macedoniae rex, legationem misit ad Romanos, quae eis latrocinia Antiatum exprobraret, cum et Graecorum affines et Italiae duces essent et Castores colerent (Strabo V 232). haec si Demetriade rex scripsit, Chalcide Alexandram a grammatico scribi potuisse mirabimur?

Scriptores quibus Lycophro usus est, haud multum nos docuerunt, docebunt plura qui Lycophrone usi sunt. ac de Euphorione quidem, qui popularis sui carmen studiose legit, in hac temporis quaestione dicere nihil attinet. neque multum Callimachus efficiet, sed res tam memorabilis videtur ut praeterire eam nolimus. habet Callimachus cum Lycophrone communia vocabula partim rarissima cum alia tum *ἀλιβδύω ἀρμοῖ ἀμπρεύω γενάρχης δασπλής ἔρριος ληθαῖος μονόγληνος Μόψοψ στόρνη σῦφαρ Τιτώ τόργος*, quorum nonnulla scholiastae, pleraque Scheerius in eruditissimo indice enumeravit. insunt sine dubio quae uterque usurpare sponte potuerit, insunt etiam in quibus doctior grammaticus errorem Lycophronis emendasse videri possit. sed fatendum est hinc nondum certi quidquam confici. iam vero Cyrenaeus poeta de Libyae flumine dixit in primo Aetiorum (fgm. 13) *οἵη τε Τρίτωνος ἐφ᾽ ὕδασιν Ἀσβύσταο*; dixerat Lycophro 576 *Αἰγυπτίου Τρίτωνος ἕλκοντες ποτόν* et 848 *ἐπόψεται δὲ τοὺς θερειπότους γύας καὶ ῥεῖθρον Ἀσβύσταο*, de Nilo utrumque. graviter igitur de Asbysta erravit, quod non mirabimur, recordati eundem Melitas Africanam et Illyricam confudisse (1027). sed Callimachus non tulit patienter errorem quem Antimachi admirator in Cyrenaeo flumine commiserat exagitavitque pro docta Alexandrinae poeseos arte. ergo cum Aetia componebat, legerat Alexandram. hinc nos sane non multum lucramur, sed quid facient vulgaris de Lycophrone erroris asseclae? utrum Chalcide an Alexandriae tam graviter de Libya erravit Lycophro?

Denique imitatorem Lycophronis inducimus, quem ipso Callimacho maiorem natu fere 285—270 scripsisse nos credimus, Dosiadam Cretensem, Arae doricae poetam. atque imitatio quidem manifesta. Dosiadas v. 11 Philoctetam vocat *τριεσπέροιο καύσταν*, praeiverat Lycophro qui v. 33 Herculem *τριέσπερον λέοντα* dixerat. apud hunc fabula multis narrata manifestat, quis per aenigma significetur, ille nomine utitur iam in certam significationem formato. porro Achilles apud Dosiadam est *σποδεύνας ἶνις Ἐμπούσας*, quae lucem accipiunt, sicut iam Holobolus intellexit, e Lycophronis 178 *ἀφ᾽ ἑπτὰ παίδων φεψάλῳ σποδουμένων μόνον φλέγουσαν ἐξαλέξαντα σποδόν*. factum igitur negari nequit. sed cum ipsius Dosiadae aetas tradita non sit, nova inquisitione opus est, ut discamus, ecquid ex facto illo sequatur. Fistulam, technopaegnion ipsa Ara difficilius, non solum codices testantur Theocriti esse (quorum fides infringi potest), sed ait ipsa se a Paride Simichida ortam esse. hanc Fistulam Dosiadae Ara cum in aliis imitatur tum eo quod Priami filium Paridem appellat Theocritum. condita igitur post illam est. esse autem Dosiadam poetam non diversum a Dosiada Creticorum scriptore recte iam Heckerus collegit, cui grati inventionis laudem concedimus, quamquam rationes eius deficiente libro non novimus. nos ut hoc statuamus cum nominis raritas

Digitized by Google

tum id permovit, quod ipsa Ara propter Tali necem, h. e. Creticam fabulam, posita est. ergo Dosiadas, quem inter Creticorum scriptores praeter falsum Epimenidem antiquissimum fuisse probabile est; cum Fistulae poeta technopaegniorum compositione certavit. Fistula cum Thalysiis Theocriti nomen Simichidae et fabulam Comatae communia habet: poterat igitur falsarius inde sumere, sed quoniam Theocritus in Thalysia Comatae fabulam recepit e Lyco Rhegino (nisi forte ex ipso Tityro quem facit canentem), idem etiam in Fistula facere poterat: ac personam Comatae iam in Viatoribus induxit, Simichidaeque nomen nequaquam in Thalysiis demum finxit, sed tamquam agnomen usurpat quasi legitimum sicuti Asclepiadem Sicelidae agnomine significat, quod Hedylus et Meleager eidem tribuunt, Tityri autem Alexandrum Aetolum non hic tantum sed etiam in Comissatione. parum igitur circumspecti qui propter has rationes Fistulae originem in suspicionem vocarunt. Thalysia Alexandriae scripta non sine desiderio iucundam recolunt memoriam sodalicii bucolici, cuius olim in Co insula Theocritus Alexander Aratus Nicias participes fuerunt, principe verum loco Cretensem poetam celebrant, agnomine bucolico Lycidan vocatum. Cretenses poetae admodum rari sunt; Cretensis poeta Dosiadas cum Fistulae poeta eam amicitiam exercet quam Lycidas cum Theocrito, et Theocriti esse traditur Fistula. quae cum ita sint, videmur nobis eodem iure quo Meinekius Tityrum ad Alexandrum Aetolum rettulit, Lycidam dicere Dosiadam*). atque magni facimus quod poeticorum certaminum, qualia inter sodales Coos exercebantur, monumenta supersunt Ara Dosiadae, Fistula Theocriti. egregie hae rationes dictione numeris arte poetica illorum lusuum confirmantur. nam cui omnino aetati rectius haec tribuas quam ei quae Simmiae technopaegnia, Lycophronis Alexandram, Moerus Diras, Alexandri Apollinem tulit? melicos versus, quales hic habemus, post Callimachum omnino conditos esse tum demum credemus, cum exempla prolata erunt. quodsi constant rationes nostrae, Dosiadas fere 285—270, Lycophro ante eum scripsit.

Responsum est quaestioni propositae, idque paucis. sed e re non videbatur multa verba facere, ne in technopaegniis quidem, quae a publica scilicet opinione etiam peius quam Alexandra tractantur. quotus quisque eorum qui excludenda haec ineptorum magistellorum deliramenta ex Alexandrinae poeseos scriniis clamant, ipse legit carmina quae condemnat. atque si audaces iudicabimur, scimus hoc saeculo audaciae haberi constantem veterum memoriam non contemnere. lucrati autem sumus per audacem hanc brevitatem tantillum spatii, ut aliquot Lycophronis versus emendare liceret ne a Scheerio quidem, quem nunquam non nominamus honoris causa, perpolitos.

---

*) Lycidae cantilena Tityrum facit canentem et Daphnidis amorem et caprarii Musis cari historiam: tum demum quasi ipse suo usus invento Comatae nomen ponit et in Comatae laudibus cantum terminat. crederes de nomine non conspirasse Tityrum et Lycidan. atque scholia videntur docere, fuisse etiam qui Menalcam pro Comata nominarent. Theocritus Comatae nomine iam in Viatoribus usus erat. latent hic multo plura quam hodie dispicere licet. ceterum Syrinx cum Κεράστην ponit pro Κομάτῃ, nequaquam per eam stultitiam facit quam a scholiastis acceptam propagat Hillerus, ut dicat cornua poni pro capillis quia utrumque in capite esset, sed κέρᾳ ἀγλαέ Λ 303 grammatici de coma Paridis intellegebant.

Digitized by Google

Iota dativi ut eliderent veteres epici aliquotiens sibi permiserunt. caverunt sibi ab hac licentia non solum iambici lyrici scaenici poetae omnes (non moramur raras corruptelas), sed etiam heroi versus meliores artifices. itaque mirificum sane esset, si Lycophro in iambo homericum usum admisisset. nec tamen mutare duo quae tradita sunt huius vitii liceret exempla, nisi aliis criminibus obnoxia essent. alter locus v. 892 est, in fabula ex Herodoto IV 179 sumpta. Trito accepto ab Iasone tripode vaticinatur Graecos tum Libya potituros esse, *ὅταν παλίμπουν δῶρον ἄγραυλος λεὼς Ἕλλην᾽ ὀρέξῃ νοσφίσας πάτρας Λίβυς.* scimus hoc esse *cum unus ex Argonautarum posteris tripode potitus erit.* sed hoc ut dicatur, *παλίμπουν* non potest ad *δῶρον* referri: Graecus, utpote nepos eius qui iam in Libya est, ad tripodem revertitur, non tripus ad Graecum. solita retia incauto lectori tetendit poeta, cum iuxta poneret in legendo distinguenda: igitur *Ἕλληνα*, non *Ἕλληνι* scripsit. nec tamen hyperbaton probamus hoc *ὅταν παλίμπουν Ἕλληνα νοσφίσας πάτρας, δῶρον ὀρέξῃ Λίβυς,* non tam propter audaciam quam quia aoristus *νοσφίσας* in hac verborum conformatione male Graecus est, pro quo praesens expectamus, ferremus futurum. permutarunt librarii verbalium formarum terminationes: *ὅταν παλίμπουν δῶρον ἄγραυλος λεὼς Ἕλλην᾽ ὀρέξας νοσφίσῃ πάτρας Λίβυς.* alter locus v. 916 de Philocteta est Herculem in Oeta cremante *ὅς ποτε φλέξας θρασὺν λέοντα ῥαιβῷ χεῖρας ὥπλισε Σκύθῃ δράκοντ᾽ ἀφύκτων γομφίων λυροκτύπον,* h. e. *qui olim cum Herculem cremasset, manum Scythico dracone armavit, sagittarum invictarum iaculatorem.*' *λυροκτύπον* de *τόξου ψάλτῃ* dixit propter *ἁρμονίην τόξου καὶ λύρης*; antea Paridem fidibus canentem dixerat *ψαλάσσειν νευρᾶς κτύπον* (139). iam scribae quidem cum intellegerent *λυροκτύπον* non posse referri ad Herculem (*θρασὺν λέοντα*) mutatum in *λυροκτύπῳ* ad arcum (*δράκοντι Σκύθῃ*) rettulerunt. at *γομφίων λυροκτύπον* dictum est, et molares leoni opinor conveniunt, non draconi. itaque ab illa quidem coniectura abstinendum, sed traiectis versuum partibus et orationis et numerorum vitium tollendum est *λέοντ᾽ ἀφύκτων γομφίων λυροκτύπον δράκοντι ῥαιβῷ χεῖρας ὥπλισε Σκύθῃ.*

v. 857 Menelaus venit *Λακινίου μυχούς, ἐν οἷσι πόρτις ὄρχατον τεύξει θεᾷ Ὁπλοσμίᾳ φυτοῖσιν ἐξησκημένον et mulieres in posterum Achillem lugebunt.* iuvencam dici quamvis mulierem iuvenem scimus, sed quae sola Menelaum comitatur solaque intellegi potest, Helena Achillis sacra non instituit. quam Lycophro dicat, et scholia produnt et vetus Vergilii commentator ad Aen. III 552, Thetidem. obscurat igitur *πόρτις* deae marinae nomen, quale Iunonis est Mantineense *Ὁπλοσμία.* fuisse credimus *Πορκίς*, dictum pro Nereide. nam *Πόρκος*, senex marinus apud Alcmanem (papyri I 19), a grammaticis (Hesychio s. v. *Νηρεύς*) Nereus esse dicitur, et Lycophro ipse *πόρκον* bestiam marinam, *πορκέα* piscatorem habet.

v. 1301 Europa traditur *Κρήτης Ἀστέρῳ στρατηλάτῃ.* aut *Ἀστέριος* aut *Ἀστερίων* rex Cretensis appellari solet, soloecum esse *Ἄστερον* iam Meursius intellexit. scribendum est *Ἀστέρι*, a librariis positionis incuriosis pessum datum, Lycophroni gratum propterea quod stella an homo diceretur ambiguum reddebatur. regem Astera apud alios dictum non habemus, sed gigas Aster a Minerva superatur apud scholiastam Aristidis II 323 D.

Digitized by Google

v. 1374—7 Aeolensium migratio adumbratur *καταιθαλώσει* (Orestes) *γαῖαν ὀθνείαν μολὼν χρησμοῖς Ἰατροῦ σὺν πολυγλώσσῳ στρατῷ.* peregrinam terram petit quicunque solum vertit: dicendum fuisse eam terram quam Orestes occupavit, Lesbum, non eget demonstratione. sed per aenigma dicenda erat, sicut *πολύγλωσσος στρατός αἰόλος* est, Aeolensium. lubricum est talia emendare, cum vero Lesbus apud Homerum *Μάκαρος ἕδος Αἰολίωνος* sit, Macaria apud Plinium nat. hist. V 139, non displicet *γαῖαν ὀλβίαν*.

Sed veremur in lubrica emendationis via pergere. satius est restituta in memorabili loco librorum auctoritate finem imponere commentatiunculae. lamentationum inde a v. 52 summa est, *iterum te video perire, Troia, Aeacidae manibus et Pelopis ossibus et Herculis sagittis, quae fata Corythus Paridis et Oenonae filius Achivis prodet.*

*λεύσσω σε, τλῆμον, δεύτερον πυρουμένην*
*ταῖς τ' Αἰακείοις χερσὶ τοῖς τε Ταντάλου*
*Λέτριναν οἰκουροῦσι λειψάνοις πυρὸς*
*παιδός, καταβρωθέντος αἰθάλῳ δέμας*
*τοῖς Τενταρείοις βουκόλου πτερώμασιν*

interpunximus ita, ut intellegeretur duobus per copulas coniunctis membris tertium addi genetivum absolutum *καταβρωθέντος τοῦ βουκόλου*. quae discriptio et a scholiastis abhorret et cum Scheerium lateret, virum prudentissimum eo pellicuit ut ex Teutaro quem non solum Lycophronis scholia testantur, sed etiam Theocriti scholia (Hylae 56) auctoritate Herodori et Callimachi muniunt, Eutarum faceret, scilicet ut Aeacidae manibus et Pelopis combusti reliquiis Eutari bubulci tela adiungerentur rursus per copulam. gaudebit Lycophro, tam prospere sibi fraudes cessisse; nam ut falleret *παιδὸς* iuxta *καταβρωθέντος* collocabat coniungendum illud cum *Ταντάλου*, hoc cum *βουκόλου;* pastorque non est Scytha Teutarus sed is qui solet dici, Paris. Paridem sagittae Philoctetae percusserunt atque mortuum rogo immiserunt, cui mox Oenona insiluit. egregie Paridis interitum Corythi filii mentio excipit. ut paraphrastarum facilem et plus uno nomine commendabilem morem sequamur, ita fere reddenda est horum versuum sententia. *ὁρῶ σε, δύστηνος πατρίς, τὸ δεύτερον ἀπολλυμένην καὶ διὰ τὰς τοῦ Αἰακίδου Νεοπτολέμου χεῖρας καὶ διὰ τὰ ἐν Πίσῃ ἀποκείμενα Πέλοπος ὀστᾶ, ἐπειδὰν Πάρις ὁ βουκόλος πυρὶ καταναλωθῇ, ἤγουν εἰς πυρὰν ἐμπέσῃ, διὰ τὰ Σκυθικὰ τοῦ Ἡρακλέους καὶ Φιλοκτήτου βέλη.*

Dabamus Id. Iun.

Digitized by Google

Digitized by Google

# I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

## 1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

### DR. O. ZOECKLER, P. P. O. DEC.

I) Publice seminarii theologici exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes moderabitur die Lunae hor. VI et VII. — II) Privatim 1) historiam ecclesiae temporum recentiorum inde a rerum sacrarum reformatione tradet sexiens p. h. hor. IX; 2) theologiam symbolicam exponet quinquiens hor. III.

### DR. I. G. HANNE, P. P. O.

I) Publice de religionis christianae indole atque praestantia absoluta disputabit. d. Merc. hor. XII. — II) Privatim 1) De animae humanae natura et dignitate disseret d. Mart. hor. XII. — 2) theologiae practicae partem I tradet dieb. Lun. et Iov. hor. XII.

### DR. H. CREMER, P. P. O.

I) Publice 1) orationem dominicam illustrabit d. Merc. hor. VI; 2) seminarii theol. exercitationes theologiam dogmaticam spectantes moderabitur d. Mart. hor. VI et VII; 3) studiis et laboribus sodalium instituti theol. pract. praeerit d. Ven. hor. VI et VII. — II) Privatim 1) ethicen christianam tradet quinquiens per hebd. hor. XI; 2) de munere ecclesiastico fungendo disseret quinquiens per hebd. hor. X.

### DR. C. BREDENKAMP, P. P. O.

I) Publice seminarii theologici exercitationes in Vetere Testamento interpretando versantes moderabitur die Merc. hor. VI et VII. — II) Privatim 1) introductionem in Vetus Testamentum docebit quinis per hebd. schol. hor. VIII; 2) librum Geneseos interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. et Ven. hor. XI.

## 2) PROFESSORIS EXTRAORDINARII.

### LIC. DR. F. GIESEBRECHT, P. P. E.

I) Publice de arte hermeneutica a scriptoribus N. T. ad Vetus Testamentum explicandum exhibita disseret die Merc. hor. IV. — II) Privatim vaticinia prophetarum minorum saeculi octavi a. Chr. n. interpretabitur quater per hebd. hor. IV. III) Privatissime grammaticam linguae Hebraeae tradet binis p. h. scholis hor. def.

Digitized by Google

# II. SCHOLAE IURECONSULTORUM.

## 1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

DR. I. BEHREND, P. P. O. DEC.

I) Publice exercitationes iuris commercialis in seminario iuridicio moderabitur die Mart. hor. V et VI. — II) Privatim 1) ius privatum Germanicum cottidie hor. XII; 2) ius commerciorum cambiale et maritimum tractabit quinquiens p. h. hor. XI.

DR. C. W. F. H. HAEBERLIN P. P. O.

I) Publice exercitationes criminales instituet die Sat. hor. XI. — II) Privatim 1) ius criminale quinquiens p. h. hor. XI; 2) historiam imperi et iuris Germanici quinquiens p. h. hor. X. docebit.

DR. E. R. BIERLING, P. P. O.

I) Publice exercitationes iuris criminalis moderabitur semel p. h. hor. XI. — II) Privatim processum criminalem tractabit quater p. h. hor. XII.

DR. LOTH. SEUFFERT, P. P. O.

I) Publice in seminario iuridico exercitationes exegeticas instituet die Ven. hor. VI. — II) Privatim 1) Pandectas excepto iure hereditario dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI et XII; 2) processum civilem quater p. h. hor. V docebit.

DR. I. BARON, P. P. O.

lectiones nondum indicavit.

## 2) PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

DR. F. STOERK, P. P. E.

I) Publice exercitationes in fontibus historiae rerum publicarum diplomaticae interpretandis moderabitur d. Lun. hor. V et VI. — II) Privatim 1) ius publicum Germanicum quater p. h. hor. IX; 2) ius administrationis Borussiae dieb. Merc. et Sat. hor. IX; 3) ius quod est inter gentes Europaeas die Lun. Merc. Ven. hor. IV docebit.

DR. O. FISCHER, P. P. E.

I) Publice in seminario iuridico Gai librum quartum institutionum interpretandum proponet die Sat. h. IV. — II) Privatim processum civilem Romanum docebit die Mart. et Iov. hor. IV.

Digitized by Google

### 3) PRIVATIM DOCENTIUM.

DR. R. MEDEM, PRIV. DOC.

I) Publice de caussis quibusdam criminalibus clarioribus disseret semel p. h. hor. def. — II) Privatim de probatione iuridica aget bis p. h. hor. def.

---

# III. SCHOLAE MEDICORUM.

### I) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

DR. H. C. A. PERNICE, P. P. O. DEC.

I) Publice de morbis mulierum (pars I) disseret die Lun. hor. V. — II) Privatim 1) Operationes obstetricias tradet coni. exercitationibus dieb. Mart. et Iov. h. V; 2) exercitationes clinicas et policlinicas gynaecologicas moderabitur dieb. Lun. Merc. Sat. hor. XII, cet. dieb. hor. VIII.

DR. IULIUS BUDGE, P. P. O.

I) Publice de organis sensuum disseret die Ven. hor. IX. — II) Privatim 1) exercitationes anatomicas moderabitur cotidie hor. X. XI. II. III; anatomiae corporis humani partem primam tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. IX.

DR. F. GROHÉ, P. P. O.

I) Publice de tumoribus, part. prior. disseret semel p. h. hor. VI. — II) Privatim 1) pathologiam et therapiam generalem adiuncturus anatomiam pathologicam generalem cum demonstrationibus tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. hor. V; 2) cursum anatomiae et physiologiae pathologicae practicum instituet dieb. Mart. et Ven. hor. XII, dieb. Merc. et Sat. hor. VIII et IX.

DR. FR. MOSLER, P. P. O.

I) Publice policlinicas relationes moderabitur semel p. h. hor. VIII. — II) Privatim 1) cursum practicum de diagnostice physica dieb. Lun. Mart. Iov. hor. VIII; 2. exercitationes clinicas et policlinicas medicas moderabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. inde ab hor. IX, reliquis dieb. ab hor. X usque ad hor. XI.

DR. L. LANDOIS, P. P. O.

I) Publice disquisitiones et physiologicas et histologicas eorum commilitonum, qui in hisce rebus iam magis versati sunt, moderabitur cotidie hor. def. — II) Privatim physiologiae experimentalis partem unam tractabit cotidie hor. XII.

Digitized by Google

DR. R. SCHIRMER, P. P. O.

I) Publice selecta ophthalmiatrices capita tradet die Lun. hor. III. — II) Privatim 1) exercitationes operationum in oculis instituendarum moderabitur dieb. Mart. et Ven. hor. III; 2) exercitationibus ophthalmoscopicis praeerit dieb. Iov. et Ven. hor. V; 3) exercitationes clinicas ophthalmiatricas instituet dieb. Merc. et Sat. hor. III hominesque oculorum morbis affectos extraneos monstrabit cotidie hor. XII.

DR. P. VOGT. P. P. O.

I) Publice chirurgiae generalis capita selecta tradet die Merc. hor. VIII. — II) Privatim exercitationes clinicas et policlinicas chirurgicas moderabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. X et dimid. usque ad hor. XII dieb. Merc. et Sat. inde ab hor. XI usque ad hor. XII.

DR. HUGO SCHULZ, P. P. O.

I) Publice balneologiam tradet die Ven. hor. IV. — II) Privatim pharmacologiae alteram partem tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. IV.

## 2) PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

DR. C. EICHSTEDT, P. P. E.

I) Publice exercitationes obstetricias in phantomate instituet die Sat. hor. II. — II) Privatim 1) de morbis cutaneis demonstrationes practicas additurus disseret dieb. Lun. et Iov. hor. II; 2) de morbis syphiliticis item demonstrationes practicas adiuncturus aget dieb. Mart. et. Ven. hor. II.

DR. G. HAECKERMANN, P. P. E.

I) Publice de morbis contagiosis, quoad spectant ad hygieinen publicam et politiam medicam dieb. Mart. Sat. hor. III. — II) Privatim de medicina forensi dieb. Lun. Iov. Ven. hor. III.

DR. R. ARNDT, P. P. E.

I) Publice disseret de morbis nervorum, quos trophicos nominamus, semel p. h. II) Privatim 1) psychiatriam universalem et specialem a demonstrationibus seiunctam tradet dieb. Lun. Mart. Iov. hor. IV; 2) electrodiagnosticen et electrotherapiam docebit bis p. hebd.

Digitized by Google

DR. P. KRABLER, P. P. E.

I) Publice selecta capita paediatrices tractabit d. Merc. hor. XII. — II) Privatim 1) infantes aegrotos extraneos monstrabit dieb. Mart. Iov. et Ven. hor. XII; 2) diagnosticen physicam docebit dieb. Mart. Iov. Ven. hor. III.

DR. F. SOMMER, P. P. E.

I) Publice corporis humani partes selectas monstrabit cotidie. — II) Privatim 1) anatomiam regionalem tractabit bis per hebd. hor. def.; 2) elementa anatomiae comparatae docebit dieb. Merc. et Ven. hor. IV.

DR. F. RINNE, P. P. E.

I) Publice de chirurgia, quae in bellis adhibetur, disseret die Ven. hor. V. II) Privatim chirurgiae specialis partem alteram tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. V.

## 3) PRIVATIM DOCENTIUM.

DR. A. BENGELSDORFF, PRIV. DOC.

Publice de nutrimentis nec non de diaetetice disseret dieb Merc. Sat. hor. IX.

DR. F. DE PREUSCHEN, PRIV. DOC.

Privatim 1) theoriam artis obstetriciae docebit dieb. Lun. Merc. Iov. hor. VI; 2) pathologiam et therapiam puerperii tractabit dieb Mart. et Ven. hor. VI.

DR. A. BUDGE, PRIV. DOC.

Privatim 1) osteologiam et syndesmologiam tractabit dieb. Lun. et Merc. hor. V; 2) histologiam et anatomiam microscopicam tradet dieb. Mart. et Iov. hor. V.

DR. O. BEUMER, PRIV. DOC.

Publice de hygieine publica et politia medica disseret bis p. h. hor. V.

DR. P. STRUEBING, PRIV. DOC.

Privatim pathologiam et therapiam specialem tradet quater per hebd. hor. def.

DR. K. LOEBKER, PRIV. DOC.

Privatim 1) anatomiam chirurgicam demonstrationes adiecturus tractabit dieb. Lun. et Mart. hor. IV; 2) de fracturis et luxationibus disseret dieb. Merc. et Sat. hor. IV.

Digitized by Google

DR. T. SCHONDORFF, PRIV. DOC.

Privatim exercitationes policlinicas otiatricas instituet dieb. tribus, Lun., Merc. et Sat. hor. II—III.

# IV. SCHOLAE PHILOSOPHORUM.

## I) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

DR. H. SCHWANERT, P. P. O. DEC.

I) Publice 1) capita selecta chemiae technicae tractabit die Sat. hor. XI; 2) colloquium de rebus chemicis pharmaceuticis habebit dieb. Iov. et Ven. hor. IV et V. — II) Privatim 1) pharmaciae partem priorem exponet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. III; 2) chemiam analyticam docebit dieb. Ven. et Sat. hor. III; 3) praxin chemicam una cum professore LIMPRICHT instituet senis et duodenis et tricenis p. h. hor. def.

DR. E. BAUMSTARK, P. P. O.

I) Publice securitatem publicam conservandam docebit die Lun. hor. III et IV. — II) Privatim principia et capita selecta politices oeconomicae tradet dieb. Mart. Merc. Iov. Ven. Sat. hor. III.

DR. A. H. A. I. MUENTER, P. P. O.

Publice de mycologia disseret die Sat. hor. V et VI. — II) Privatim 1) pharmacologiam docebit dieb. Lun. et Mart. hor. V et VI; 2) plantas cryptogamicas (fungis excl.) illustrabit dieb. Merc. et Iov. hor. V et VI.

DR. F. C. O. L. B. DE FEILITZSCH, P. P. O.

I) Publice de calore disseret bis p. h. dieb. Merc. et Sat. hor. XII. — II) Privatim physices experimentalis universalis partem primam et illam quidem quae de viribus centralibus et polaribus agit, docebit quater p. h. dieb. Lun. Mart. Iov. et Ven. hor. XII.

DR. A. H. BAIER, P. P. O.

I) Publice ideam et naturam religionis christianae exponet bis p. hebd. die Merc. et Sat. hor. III. — II) Privatim Logicen docebit quater p. hebd. dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. IV. — III) Privatissime sed gratis exercitationes philosophicas, de philosophorum principiis diversis, et Kantii critices purae interpretatione, moderabitur die Mart. et Sat. hor. V.

Digitized by Google

## DR. H. LIMPRICHT, P. P. O.

I) Publice de selectis quibusdam chemiae locis disseret semel p. h. hor. def. — II) Privatim 1) chemiae partem secundam tradet sexiens p. h. hor. VIII; 2) praxin chemicam una cum professore SCHWANERT instituet senis et duodenis et tricenis p. h. hor. def.

## DR. GUIL. AHLWARDT, P. P. O.

I) Publice grammaticam linguae Arabicae docebit dieb. Lun. et Iov. hor. IV. — II) Privatim 1) Carmina Hodseilitarum interpretabitur dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. hor. IV; 2) elementa linguae turcicae docebit bis p. h.

## DR. F. F. C E. SUSEMIHL, P. P. O.

I) Publice Lucreti librum primum interpretabitur dieb. Merc. et Sat. hor. XII. — II) Privatim historiam prosae Graecae usque ad aetatem Alexandrinam enarrabit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. V. — III) Privatissime et gratis exercitationes Aristotelicas moderari perget bis p. h. hor. def.

## DR. A. PREUNER, P. P. O.

I) Publice 1) exercitationes archaeologicas et mythologicas moderabitur die Sat. hor. III; 2) de vasis Graecorum pictis disseret die Sat. hor. IV. — II) Privatim antiquitates Romanas docebit ter p. h. hor. def.

## DR. A. KIESSLING, P. P. O.

I) Publice in seminario philologico et Vergilii eclogas die Lun. hor. III et Herodoti musas die Merc. hor. X et XI interpretari perget. — II) Privatim 1) historiam et encyclopaediam studiorum grammaticorum enarrabit quater hor. X; 2) Propertii carmina selecta interpretabitur ter hor. III.

## DR. GUIL. SCHUPPE, P. P. O.

I) Publice exercitationes philosophicas moderabitur die Merc. hor. VI. — II) Privatim historiam philosophiae inde a Cartesio enarrabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. Sat. hor. VI.

## DR. H. ULMANN, P. P. O.

I) Publice in seminario historico exercitationes ad historiam medii aevi temporumque recentiorum pertinentes moderabitur die Merc. hor. VIII et IX. — II) Privatim 1) de fontibus historicis saec. XV et XVI succincte disseret dieb. Lun. et Mart. hor. XII; 2) res gestas Borussorum inde ab a. 1786 usque ad a. 1819 enarrabit dieb. Iov. Ven. hor. XII.

Digitized by Google

DR. GUIL. THOMÉ, P. P. O.

I) Publice exercitationes seminarii mathematici moderabitur die Merc. hor. X et XI. — II) Privatim 1) mechanicam analyticam exponet dieb. Lun. et Iov. hor. X et XI; 2) geometriam analyticam docebit dieb. Mart. et. Ven. hor. X et XI.

DR. U. DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF, P. P. O.

I) Publice in seminario philologico 1) Platonis Protagoram die Iov. hor. III; 2) Catulli Comam Berenices die Sat. hor. X et XI interpretanda proponet. — II) Privatim 1) Thucydidis historias interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. IX; 2) tragodumena enarrabit eisdem dieb. hor. IV.

DR. A. GERSTAECKER, P. P. O.

I) Publice de generatione animalium disseret die Merc. hor. X. — II) Privatim animalium morphologiam generalem et comparatam tradet die Lun. Mart. Iov. Ven. hor. II.

DR. AL. REIFFERSCHEID, P. P. O.

I) Publice 1) in proseminario germanico Goethei iuvenis vitam et opera tractabit die Merc. hor. V et VI; 2) seminarii germanici sodalibus Otfridi librum evangeliorum iterum interpretandum proponet die Ven. hor. V et VI. — II) Privatim 1) Historiam litterarum germanicarum inde ab saeculo XII usque ad saeculum XIV enarrabit ter p. h. dieb. Lun. Merc. Ven. hor. XI; 2) Hartmanni poema Iwein inscriptum interpretabitur bis p. h. dieb. Mart. et Iov. hor. XI.

DR. O. KOSCHWITZ, P. P. O.

I) Publice in seminario Romanensi exercitationes ad Molierum spectantes instituet die Sat. hor. XI et XII. — II) Privatim grammaticam linguae Provincialis adiecta interpretatione vetustissimorum monumentorum tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. IX.

DR. H. ZIMMER, P. P. O.

I) Publice historiam religionis Indorum enarrabit die Merc. hor. XII. — II) Privatim grammaticam comparatam linguae Graecae docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. XII. — III) Privatissime sed gratis grammaticam linguae Hibernicae veteris atque mediae aetatis docebit ter p. h. hor. def.

Digitized by Google

DR. TH. LIEBISCH, P. P. O.

I) Publice exercitationes crystallographicas et mineralogicas instituet die Sat. hor. IX. — II) Privatim 1) crystallographiam physicam et chemicam exponet dieb. Lun. Mart. Merc. hor. IX; 2) mineralogiae partem secundam docebit die Iov. Ven. hor. IX. — III) Privatissime in instituto mineralogico operam daturis aderit quotidie.

## 2) PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

DR. M. SCHOLZ, P. P. E.

I) Publice exercitationes geologicas instituet hor. def. — II) Privatim geologiam tradet quater per h. hor. XI.

DR. MINNIGERODE, P. P. E.

I) Publice exercitationes in seminario mathematico moderabitur die Sat. hor. X et XI. — II) Privatim 1) calculum differentialem et integralem docebit quinquiens p. h. hor. IX; 2) theoriam attractionis docebit quater p. h. hor. VIII.

DR. F. BAUMSTARK, P. P. E.

I) Publice 1) de alcaloidibus disseret die Lun. hor. IV; 2) hygieines capita selecta (de aere et aqua) tradet semel p. h. hor. def. — II) Privatim chemiam forensem docebit dieb. Mart. et Merc. hor. IV.

DR. C. TH. PYL, P. P. E.

I) Publice de antiquitatibus Pomeraniae secundum monumenta disseret bis p. h. hor. XI. — II) Privatim historiam monasterii Hildensis tradet bis p. h. hor. XI. — III) Privatissime sed gratis exercitationes diplomaticas secundum monumenta artium litterarumque moderabitur bis p. h. hor VI.

DR. RUD. CREDNER, P. P. E.

I) Publice 1) de primitiis generis humani disseret semel p. h.; 2) physicam geographiam Africae tractabit semel p. h. — II) Privatim geographiam Europae excepta Germania docebit quater p. h.

DR. O. SEECK, P. P. E.

I) Publice exercitationes seminarii historici antiquitatem Graecam et Romanam spectantes moderabitur die Lun. hor. VI et VII. — II) Privatim antiquitates publicas populorum Graecorum docebit quater p. h. hor. XI.

Digitized by Google

DR. M. KONRATH, P. P. E.

I) Publice in seminario „Romeo and Iulia“ tragoediam Shakspereanam interpretandam proponet die Merc. hor. X et XI. — II) Privatim historiam litterarum Anglicarum veteris atque mediae aetatis enarrabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. X.

DR. RIC. MUCKE, P. P. E.

I) Publice de statistica morali aget semel p. h. die Mart. hor. V. — II) Privatim 1) principia et fundamenta oeconomiae nationalis docebit ter p. h. dieb. Mart. Merc. Iov. hor. VIII; 2) de arte et methodo statistica disseret semel p. h. die Merc. hor. IV et V. — III) Privatissime et gratis exercitationes societatis politicae moderari perget semel p. h. die Iov. hor. VI et VII.

DR. F. VOGT, P. P. E.

I) Publice exercitationes Theodiscas moderabitur semel p. h. hor. def. — II) Privatim etymologiam Theodiscam docebit bis p. h. hor V.

## 3) PRIVATIM DOCENTIUM.

DR. ZACHARIAE, PRIV. DOC.

I) Publice textus selectos linguae Sanscritae interpretandos proponet bis p. h. hor. def. — II) Privatim grammaticam linguae Sanscritae docebit dieb. Mart. et Ven. hor. III. — III) Privatissime sed gratis de doctrina grammatica Indorum disseret et Paninis regulas interpretabitur bis p. h. hor. def.

DR. W. HOLTZ, PRIV. DOC.

I) Publice scintillam lucemque electricam et meteora electrica tractabit die Sat. hor. VII vesp. — II) Privatim disciplinam acusticam et quoad pertinet ad artem musicam et technicam et medicinalem docebit dieb. Iov. Ven. hor. VII vesp. — III) Privatim physicen cosmicam tradet dieb. Lun. Mart. hor. VII vesp.

Digitized by Google

# ARTIUM MAGISTRI.

DR. G. MARX, Lector, I) Publice in proseminario anglico Ch. Dickensii narratiunculam „The Chimes" inscriptam interpretabitur bis p. h. hor. def. — II) Privatim textum aliquem germanicum in linguam anglicam vertendum proponet, atque exercitationes grammaticas et anglice loquendi instituet bis p. h. hor. def.

G. BEMMANN, concent. music. director, Publice 1) cantum ecclesiasticum docebit bis p. hor. def.; 2) de relatione harmonica ac modulatione disseret bis p. h.

O. DROENEWOLF, Publice theoriae musices partem priorem docebit bis p. h. hor. def.

E. WEILAND, Publice artem delineandi docebit quater p. h. hor. def.

H. RANGE, 1) exercitationes gymnicas moderandi praecepta tradet hor. VIII vespert.; 2) exercitationes gymnicas moderabitur binis p. h. hor. vesp. def.; 3) instrumenta, quae ad corpora exercenda adhibeatur, cognoscenda curabit hor. def. 4) artem rudibus batuendi docebit hor. def.

# INSTITUTA PUBLICA.

Bibliotheca academica, cui praesunt Dr. STAENDER, Dr. PERLBACH, I. Cust., Prof. VOGT, II. Cust., Dr. BABAD, III. Cust., dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. XI—I, dieb. Merc. et Sat. hor. II—IV studiosis patebit.

Museum litterarum curant Professores ZOECKLER, LANDOIS, LIMPRICHT, KIESSLING, SEUFFERT.

Seminarii theologici exercitationes reguntur ab ORDINE THEOLOGORUM.

Societatis homiletico-catecheticae studia ac labores moderantur CREMER, Prof.

Seminarii iuridici exercit. moderantur BEHREND Prof., SEUFFERT Prof., BARON Prof. FISCHER Prof.

Theatrum anatomicum administrat BUDGE Prof., assistente SOMMER Prof., qui Prosectoris munere fungitur, adiutore A. BUDGE Dre.

Museo anatomico praepositus est BUDGE Prof., adiutoribus SOMMER et A. BUDGE Dre.

Instituto physiologico praepositus est LANDOIS Prof. adiutoribus SONNBERG et KRUSE.

Instituto pathologico-anatomico praepositus est GROHÉ Prof. adiutore RIEGER Dre.

Museo pathologico-anatomico praepositus est GROHÉ Prof. adiutore RIEGER Dre.

Collectis praeparatis pharmaceuticis praeest SCHULZ Prof. adiutore THOL.

Digitized by Google

Nosocomio Universitatis praesunt MOSLER Prof. VOGT Prof. — adminstr. BRANDTNER — calculatore STEMPEL — assist. HOFFMANN Dre. et PEIPER Dre. — adiutoribus MESSERSCHMIDT et DR. F. SCHMIDT.

Instituti clinici medici curam habet MOSLER Prof. assistente HESSE adiut. ROEDER.

Instituti clinici chirurgici curam habet VOGT Prof. assistente LOEBKER Dre. — adiutore P. MÜLLER Dre.

Instituti ophthalmiatrici curam habet SCHIRMER Prof. assistente DIETERICH Dre.

Instituti obstetricii curam habet PERNICE Prof. assistentibus BEUMER Dre. et BRIESE Dre. — adiutore BERTH.

Instituto clinico psychiatrico praeest ARNDT Prof. adiutore ROSENBAUM.

Instrumenta, quae ad physicen pertinent, custodit DE FEILITZSCH Prof. assistente W. HOLTZ Dre.

Seminarii mathematici exercitationes moderantur THOMÉ Prof. et MINNIGERODE Prof.

Instrumenta astronomica custodit THOMÉ Prof.

Museo zoologico praeest GERSTAECKER Prof.

Museo botanico praepositus est MUENTER Prof.

Hortum botanicum curant MUENTER Prof., Dr. GOEZE inspector.

Museo mineralogico praepositus est LIEBISCH Prof.

Institutum chemicum moderantur LIMPRICHT Prof. et SCHWANERT Prof. adiutoribus F. BAUMSTARK Prof., ZIEGLER, KORNATZKI.

Seminarium philologicum moderantur KIESSLING Prof. et DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF Prof.

Seminarium Germanicum moderatur REIFFERSCHEID Prof.

Seminarium Anglico-Romanense moderantur KOSCHWITZ Prof. et KONRATH Prof.

Seminarium historicum moderantur ULMANN Prof. et SEECK Prof.

Gypsothecae et antiquitatum museo praeest PREUNER Prof.

Apparatui geographico praeest CREDNER Prof.

Museo antiquitatum Pomeraniae praeest PYL Prof.

Digitized by Google

# SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

| HOR. | THEOLOGICAE | IURIDICAE. | MEDICAE. | PHILOSOPHICAE. |
|---|---|---|---|---|
| VIII. | Introd. in Vet. T., quinquiens. | | Clinic. et policl. obstetric., ter.<br>Relat. policlin., semel.<br>Curs. pract. diagn. phys., ter.<br>Curs. anat. et phys. path., bis.<br>Selecta capita chirurg., semel. | Sem. hist., semel.<br>Chem. p. II, sexiens.<br>Theor. attract., quater.<br>Oeconom. nation., ter. |
| IX. | Hist. eccl. recent., sexiens. | Ius publ. Germ., quater.<br>Ius admin. Boruss., bis. | De organ. sensuum, semel.<br>Anatom. corp. human., ter.<br>Exerc. Clinic. medic., quater.<br>De nutrimentis, bis. | Sem. hist., semel.<br>Thucydid., quater.<br>Gramm. linguae Provinc., quater.<br>Calcul. different. et integral., quinquiens.<br>Crystallograph. phys. et chem., ter.<br>Mineralog. p. II, bis.<br>Exerc. cryst. et miner., semel. |
| X. | De mun. eccl. fung., quinquiens. | Ius crim., quinquiens. | Exercit. anat., sexiens.<br>Exerc. Clinic. med., bis.<br>Exercitat. clinic. chirurg., sexiens. | Hist. et encyclop. philolog., quater.<br>Hist. litt. Anglic., quater.<br>Mechan. analyt., bis.<br>Geometr. analyt., bis.<br>Generat. animal., semel.<br>Sem. philolog., bis.<br>Sem. mathem., bis.<br>Sem. Anglic., semel. |
| XI. | Eth. chr., quinquiens.<br>Genesis, quater. | Pandect., quater.<br>Hist. imp. et iur. Germ., quinquiens. | Exercitat. anatomicae, sexiens.<br>Curs. anat. pathol. bis. | Antiquit. public. Graecor., quater.<br>Hist. litt. germanic., ter. |

Digitized by Google

# SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

| HOR. | THEOLOGICAE. | IURIDICAE. | MEDICAE. | PHILOSOPHICAE. |
|---|---|---|---|---|
| XI. | | Ius com. camb. marit., quinquiens.<br>Proc. crim., quater.<br>Exerc. crim., semel.<br>Exerc. crim., semel. | Exerc. clinic. chirurgic., sexiens. | Hartm. poem. Iwein, bis.<br>Mechan. analyt., bis.<br>Geometr. analyt., bis.<br>Chem. technic., semel.<br>Geolog., quater.<br>Sem. philolog., bis.<br>Sem. roman., semel.<br>Sem. Anglic., semel.<br>Sem. mathem., bis.<br>Antiqu. Pomeran. bis.<br>Hist. monast. Hildens., bis. |
| XII. | De anim. hum., bis.<br>Theol. pract., bis.<br>De rel. chr. praestantia, semel. | Pandect., quater.<br>Ius Germ. priv., sexiens. | Exercitat. clinic. obstetr., ter.<br>Physiolog. experim. sexiens.<br>Paediatr. selecta capp., semel.<br>Policl. infant., ter. | De calore, bis.<br>Phys. exper. p. I, quater.<br>Res gest. Boruss., bis.<br>De font. hist. saecul. XV et XVI, bis.<br>Hist. relig. Indor., semel.<br>Gramm. comparat. ling. graec., quater.<br>Lucret. libr. prim., bis.<br>Sem. roman., semel. |
| II. | | | Exercit. anatom., sex.<br>Operat. obstetr., semel.<br>Morb. cutan., bis.<br>Morb. syphilit, bis.<br>Exercit.* policl. otiatr., ter. | Animal. morphol. general. et compar., quater. |
| III. | Theol. symbol., quinquiens. | | Exerc. anatomic., sex.<br>Sel. ophthalmol. cap., semel.<br>Operat. oculi, bis.<br>Clin. ophthal., bis. | Politic. oeconom., quinquiens.<br>Securitat. public. conserv., semel.<br>Pharm. p. I, quater. |

Digitized by Google

# SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

| HOR | THEOLOGICAE. | IURIDICAE | MEDICAE. | PHILOSOPHICAE. |
|---|---|---|---|---|
| III. | | | Clin. et policlin. ophthal., sexiens.<br>De morbis contagios., bis.<br>Medic. forensis, ter.<br>Diagn. physic., ter. | Chem. analyt., bis.<br>Propert. carm. select., ter.<br>Gramm. ling. Sanscrit, bis.<br>Sem. philolog., bis.<br>Exercc. archaeolog., semel.<br>Natur. relig. christian., bis. |
| IV. | Proph. min., quater.<br>Hermen. scriptor. N. T., semel. | Ius Gent ter.<br>Proc. civ. Rom., bis.<br>Gai libr. IV, semel. | Balneologia, semel.<br>Pharmacologia, quater.<br>Psychiatria, ter.<br>Anatom. comparat., bis.<br>Anatom. chirurg., bis.<br>Fractur. et luxat., bis. | Logice, quater.<br>Vas. graecor. pict., semel.<br>Tragodum., quater.<br>Carm. Hodseilitar., quater.<br>Gramm. ling. Arab., bis.<br>Chem. forens., bis.<br>De alkaloid., semel.<br>Colloq.chem.pharm.,bis.<br>Securitat. public. conserv., semel.<br>De arte et method. statist., semel. |
| V. | Orat. dom. semel. | Proc. civ., quater.<br>Exerc. iur. com., semel.<br>Exerc. font. rer. publ., semel. | Morb. mulierum, semel.<br>Operat. obstetric., bis.<br>Pathol. general., quinquiens.<br>Exerc. ophthalmoscop., bis.<br>Chirurg. in bellis adh., semel.<br>Chirurgia special., quat. | Exercc. philosoph., bis.<br>Hist. pros. Graec., quater.<br>Etymolog.Theodisc.,bis.<br>Plant. cryptogam., bis.<br>Pharmacolog., bis.<br>Mycolog., semel.<br>Colloq. chem. pharm., bis.<br>Prosem. germ., semel. |

Digitized by Google

# SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

| HOR. | THEOLOGICAE. | IURIDICAE. | MEDICAE. | PHILOSOPHICAE |
|---|---|---|---|---|
| V. | | | Osteolog. et syndesmol., bis.<br>Histologia, bis.<br>Hygiein. public., bis. | Sem. germ., semel.<br>De arte et method. statist., semel.<br>Stastist. moral., semel. |
| VI. | Exerc. in N. T. interpr., semel.<br>Exerc. ad hist. eccl. spect., semel.<br>Exerc. dogm., sem.<br>Exerc. pract., sem. | Exerc. exeg., semel.<br>Exerc. iur. com., semel.<br>Exerc. font. rer. publ., semel. | De tumoribus, semel.<br>Theoria art.obstetr.,ter.<br>De morbis puerper., bis. | Hist. philosoph. recent., quinquiens.<br>Exerc. philosoph., semel.<br>Plant. cryptogam., bis.<br>Pharmacolog., bis.<br>Mycolog., semel.<br>Prosem. germ., semel.<br>Sem. germ., semel.<br>Sem. histor., semel.<br>Exerc. diplomat., bis.<br>Exercc. societ. politic., semel. |
| VII. | | | | Physic. cosmic., bis.<br>Acustic., bis.<br>Scintill. lucemque electric. et meteora electr., semel.<br>Exercc. societ. politic., semel.<br>Sem. histor., semel. |
| VIII. | | | | Exercc. gymn. moder. praecepta, semel. |
| Hor. def. | Gramm. l. hebr., bis. | Prob. iur., bis.<br>Caus. crim., semel. | Disquis. physiolog. et histol., sexiens.<br>De morb. nervorum.<br>Electrodiagn. et therap.<br>Selecta cap. anatomiae, sexiens. | Sel. chem. loci, semel.<br>Prax. chem., sexiens, duodeciens, triciens.<br>Prax. mineralog., quotidie.<br>Exerc. geologic. |

Digitized by Google

# SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

| HOR. | THEOLOGICAE. | IURIDICAE. | MEDICAE. | PHILOSOPHICAE. |
|---|---|---|---|---|
| Hor. def. | | | Anatomia regionalis, bis.<br>Pathol. et therap. spec. | Exerc. Aristotelic., bis.<br>Antiquit. Roman., ter.<br>Textus select. ling. Sanscrit., bis.<br>Gramm. ling. Hibernic., ter.<br>Doctrin. grammat. Indor. et Paninis regul., bis.<br>Elem. ling. Turcic., bis.<br>Hyiein. cap. select., semel.<br>Primit. gener. human., semel.<br>Physic. geograph. Africae, semel.<br>Geograph. Europae, quater.<br>Exerce. Theodisc., semel.<br>Prosem. Anglic., bis.<br>Text. aliquend. germ. in ling. angl. vertend. et exerc. gramm. et angl. loquend., bis.<br>Cant. eccles., bis.<br>Relat. harm. et mod., bis.<br>Theor. music. p. I, bis.<br>Ars delineandi, quater.<br>Exercc. gymn.<br>De instrument. gymn.<br>Ars rudibus batuendi. |

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google